COMMENTATIONIS DE REBUS TEGEATARUM CAPITA PRIORA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT
SUMMI IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XIX. M. JANUARII A. MDCCCXLIII. H. XII.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

GUILELMUS KONER
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:
LUDOVICO CAUER, Phil. Cand.
EDUARDO BORCHARD, Phil. Cand.
ERNESTO GUHL, Phil. Dr.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

SUMME VENERANDO

FRID. DE SCHILDEN EXC.

ORDINIS AQUILAE NIGRAE ET AQUILAE RUBRAE IN CLASSE I. ET ORD. GUELPHORUM ET ORDINIS ST. ANDREAE CET. CET. EQUITI

NEC NON

VIRO

DOCTISSIMO

THEODORO PANOFKA,

PHILOS. DR. ET ART. LIB. MAG. INSTITUTI ARCHAOL. ROMANI. SECR. ACADEMIAE. SCIENT. REG. BORUSSICAE SOCIO ORD.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

HUNC LIBELLUM

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

DE REBUS TEGEATARUM.

Cap. I.

§. 1.

TEGEATIDIS DESCRIPTIO.

Priusquam illam Arcadiae partem, in qua describenda dissertatio mea versatur, illustrare aggrediar, quibus auxiliis geographicis in agri finibus determinandis usus sim, paucis exponam necesse est. Ad vetustiores tabulas geographicas quod attinet, quis est, qui, quam exigua subtilitate rerumque investigatione compositae sint, non perspexerit? cujus quidem rei causa in gravissima illa fortunae iniquitate, quae nonnisi ante hos viginti annos et recentissima demum Graecorum seditione denuo, ut ita dicam, Graeciae naturam detegi et agnosci voluit, quaerenda erit. Novo enim Graecorum imperio constituto, multae illius terrae divitiae, quas usque ad id tempus tantum in veterum scriptis reconditas cognoveramus, reclusae sunt. Praecipue Arcadia, quum nulla ex parte mari adjaceat, recentiorem usque ad memoriam subtiliori investigatione carebat; maritima enim Graecia sola locupletioribus gaudebat descriptionibus.

Neque id mirum; namque illae civitates, quum maria non attingerent, nautaeque propter pericula interiora longius adire nollent, et fugiebant oculorum aciem et prorsus latebant hominum curiositatem. Subtilitas igitur, qua Francogalli in Graeciae finibus delineandis nostris temporibus usi sunt, permagni aestimanda est tabulamque geographicam »rédigée et gravée au dépot général de la guerre sous la direction de Mr. le Général Pelet,« ut praecipuas illas Helladis tabulas a Kieperto nostro ante hos duodecim menses editas transeam, id mea Tegeatidis Mantinicesque tabula componenda secutus sum, qua duce sperabam, fore ut in majores non inciderem errores. Praeterea et recentiora itineraria »Voyage dans la Grèce par Pouqueville, Tour by Dodwell, Travels in the Moréa by W. M. Leake, Reisen im Peloponnes von L. Ross et veteres scriptores Thucydides, Xenophon, Diodorus, Strabo, multi alii, et prae ceteris imprimis Pausanias, fons antiquitatum Graecarum indagatori uberrimus magnae mihi fuerunt utilitati.

Arcadiae regiones euronotum spectantes, quae a Tegeatis et Mantinensibus tenebantur, Tegeatidis et Mantinices nominibus appellabantur (1), neque hanc planitiem, quae undique altissimis contineatur montibus, nisi arctissimis angustiis pertentatis, attingere possis. Parthenius mons (hodie Barberia, mons 3390 pedum) ad orientem vergens Tegeatarum agrum ab Argolide et Thyreatide dividit (2). A parte septentrionali Tegeatis

---

(1) Xenoph. Hell. 6, 5, 15. Thucyd. 5, 65. m. a. l. Tegeatis et Mantinice provinciae Tripolitzanae hodie adscribuntur. cf. Pouqueville voy. dans la Grèce. T. III. p. 494.

(2) Paus. 8, 6, 2. 8, 54, 4. Strabo 8, 8. Plin. h. n, 4, 10.

ad planitiem, quam Mantinenses incolebant, spectat, ibique ara rotunda utriusque agri erat terminus (1). Occidentem versus mons altissimus, cujus tamen nomen apud veteres scriptores non invenimus, **Boreum mons** (Davria), inter utrumque agger quidam polygoneis e lapidibus congestus, qui *χῶμα* dicitur (2), agrum Tegeaticum a Pallantiensibus et Megalopolitanis dirimit. Choma vero illud, cujus substructiones lapideae adhuc exstant, per illius regionis paludes (hodie Taka), subterraneo Alphei fluminis cursu (*καταβόθροι*) ortas, quum ad fines distinguendos, tum ad aquas, hieme crescentes, avertendas, ne Manthuriensium agris obnoxiae essent, fuisse congestum videtur (3). Invii saltus et Alpheus flumen meridiem versus Tegeatidem cingebant et ab repentinis Lacedaemoniorum incursionibus tuebantur; neque tamen, quum Caryates, ut infra demonstrabimus, et in Lacedaemoniorum et in Tegeatarum potestate ac ditione fuerint, hac in parte Tegeatidis fines accurate constitui possunt.

Fluminum, quae Tegeatidem irrigant, praestantissimus est Alpheus, qui multorum Arcadicorum fluminum more undas sub terra modo condit, modo rursus in lucem profert. Legimus enim apud Pausaniam (4), Al-

---

(1) Paus. 8, 11, 1. Ross Reisen im Pelop. p. 123.

(2) Paus. 8, 44, 6. Ross. p. 69. sq.

(3) Similia chomata cf. Paus. 8, 23, 2. ἐν δὲ τῷ πεδίῳ τῷ Καφυῶν πεποίηται τῆς γῆς χῶμα, δι' οὗ ἀπείργεται τὸ ὕδωρ τὸ ἐκ τῆς Ὀρχομενίας μὴ εἶναι Καφυέων βλάβος τῇ ἐνέργῳ. — Paus. 9, 32, 2. τὸ δὲ πεδίον τὸ μεταξὺ τῶν ὀρῶν ἐκώλυεν οὐδὲν λίμνην ὑπὸ πλήθους εἶναι τοῦ ὕδατος, εἰ μὴ διὰ μέσου χῶμά σφισιν ἐπεποίητο ἰσχυρόν.

(4) Paus. 8, 54. 1, sq. 8, 44, 3. cf. Fest. Avien. v. 570—73.

pheum haud procul a Caryis profluere, multisque fontibus ad Phylacen auctum, quare loco illi nomen *Σύμβολα* fuerit, ad septentrionem vergentem saltus perfringere, tum in agro Tegeatico infra terram sese mergere, quo loco paludem, hodie Taka vocatam, invenimus, et ad Aseam (1) erumpentem, undas suas Eurotae permiscere, amboque flumina ad stadia prope viginti uno eodemque alveo fluentia cuniculo absorberi (quam regionem Franko-Vrysi hodie nominamus), Eurotam vero in Laconica, Alpheum in Megalopolitanorum finibus loco, qui *Πηγαί* ab Arcadibus dicatur, rursus emergere. Strabo (2) quidem, quod de Alphei cursu rettulimus *παράδοξον* esse suspicatur; Pausaniae tamen verbis, quod hic rem ipsam indagasse, ille autem, ut e verbo *εἴρηται* concludi debet, relata tantum rettulisse videatur, magis confidendum esse censeo. Nostra aetate fluminis cursus prorsus est mutatus, neque ego ob diversissimas doctissimorum virorum Pouquevillii, Dodwellii, Leakii opiniones verum referre possum. Pouquevillius in itinerario, Alpheum (hodie Orphia vel Rouphia) in Boreo monte (Davria) haud procul a Boreae ara (Kephalo-Vrysi) in agro Pallantiensium oriri, illum autem saltus Tegeatidis meridionales perfringentem amnem [Saranto-Potamo (3)] non eundem atque Alpheum esse censet (4). E. Par-

---

Priscian. v. 409. Dionys. in geogr. minor. ed. Gaisford T. IV. p. 75. Strabo 8, 8.

(1) Ross, p. 60. Gell. itin. of the Moréa p. 139.

(2) Strabo l. c.

(3) Saranto vel Saranda-Potamo i. e. quadraginta amnes cf. Gell itin. p. 97.

(4) Pouqueville voy. T. IV. p. 268. 319.

thenii montis radicibus Alpheum profluere Dodwellius nobis est testis (1), opinio quae ab ea, quam Leakius, etsi sit ambigua, Alpheo eosdem atque Gareati amni esse fontes, attulit (2), haud valde videtur dissentire. Gareates enim ille (3) in Parthenii montis radicibus ortus (4), regiones Tegeatidis orientales irrigat et a Katavothris ad vicum Pezova absorbetur (5). Rossii autem disquisitiones proxime ad veritatem accedere videntur; refert enim (6), Saranto-Potamo amnem (Alpheum) ex incolarum narratione in paludem Taka quondam defluxisse, sed aquam ejus, quod hieme agros inundaret, a Turca quodam ante hos centum annos in Gareatem amnem ad vicum Magula derivatam esse. Exigui praeterea amnis nomine Lachas, cujus aqua a captivis Lacedaemoniis per agros ducta fertur, mentio fit apud Diniam (7). Septentrionales quoque agri Tegeatici partes, ubi Ophis amnis oritur (8), fontibus scaturiisse videntur, Thucydidem (9)

---

(1) Dodwell Tour. Vol. II. p. 416.

(2) Leake trav. T. I. p. 121.

(3) Cum Sylburgio Gareates, ut vicus Gareates, neque cum Facio Garates legendum esse censeo.

(4) Paus. 8, 44, 3. — (5) Ross Reisen p. 72.

(6) Ross p. 70. sq.

(7) Frag. Diniae in gram. graec. ed. Dindorf. Herod. π. μον. λεξ. 8, 13. cf. c. IV. diss. de Perimeda. — Δάχας nomen, a verbo λάχεια i. e. εὔσκαφος καὶ εὔγειος παρὰ τὸ λαχαίνεσθαι, ὅ ἐστι σκάπτεσθαι πυκνῶς (Hesych. s. v. λάχεια) nihil aliud videtur significare, nisi rivos, ne multi illi Tegeatidis fontes, imbribus tumefacti planitiem inundarent, a Tegeatis effossos. Nostra quidem aetate, rivis obrutis, hi fontes tantam scabuli multitudinem solo obduxerunt, ut Tegeae ruinae totae scabulo obtectae sint. — O. Mueller. Dorer T. II. 44, 3. hunc amnem et lacum exiguum haud procul a Tegea eundem esse censet.

(8) Ross. p. 126. — (9) Thucyd. 5, 65.

si sequi velimus, qui Tegeatas, quotiens cum Mantinensibus manus conseruerint, totiens has regiones ad fines defendendos inundasse, auctor est.

Planitiem nostram fertilissimam quondam fuisse, ex epithetis, quibus poëtae et Tegeam et Mantineam exornabant, facile colligi potest; sic Tegea *εὔμηλος* (1), *εὐρύχορος* (2), *καλὸν πεδίον* (3), et Mantinea *ἐρατεινή* (4) praedicabatur (5).

Tegeatarum ager in novem dividebatur pagos, quos antiquissimis jam temporibus in unam eandemque sedem, Tegeam dico, contractos refert Pausanias, neque tamen, quantum e nominum ordine, quo in pagis enumerandis usus est (6), conjiciam, omnium pagorum situs videtur novisse. Quam ob rem pagorum seriem, quam scriptor ille persequitur, paullum permutare ausus sum. Corythensium pagus inter septentrionem et orientem Tegeatidis situs, Parthenii montis radicibus adjacebat, quod ex Cereris Corythensis templi positione (7) colligi potest. Alterum pagum, qui Gareate amne irrigabatur, itemque Parthenium montem attingebat Gareatae incolebant. Quin tertius Phylacensium pagus euronotum versus ad Phylacas circum Alphei fluminis fontes situs sit, nemo certe

---

(1) Simonid. epigr. 24. in Brunck. anal.

(2) Anytes epigr. 2. 25. cf. Paus. 8, 5, 2.

(3) Herod. 1, 66. — (4) Hom. Il. 2. 607.

(5) Terram nunc esse sterilem aestateque fontibus carentem narrat Pouqueville voy. T. V. p. 128.

(6) Paus. 8. 45. 1. Pausanias hunc exhibet ordinem: Γαρεᾶται, Φυλακεῖς, Καρυᾶται, Κορυθεῖς, Πωταχίδαι, Μανθυρεῖς, Ἐχευῆθεις, Ἀφειδαντες. cf. Strabo 8, 8.

(7) De nomine Κορυθεῖς cf. c. II. diss. s. v. Ceres ἐν Κορυθεῦσιν.

dubitabit. Caryatarum pagus circa Caryas oppidum (1) [Palaeokastron(2)] situs maximeque ad meridiem spectans, tum Tegeatarum, tum Lacedaemoniorum, prout huic vel illi civitati belli fortuna magis favebat, erat in potestate, quippe qui extra juga montium Tegeatidem cingentia jaceret, maximeque hostium incursionibus objectus esset, ita ut hac ex parte agri fines non possint accurate constitui: antiquissimis enim temporibus in Tegeatarum, in Lacedaemoniorum potestate altero bello Messeniaco fuisse Caryas demonstrabimus; Peloponnesiaco vero bello et Nabidis aetate rursus ad Arcadiam videtur pertinuisse; Pausanias autem et Stephanus Byzantinus Caryas Lacedaemoniorum oppidum appellant. Botachidarum (3) pagus haud facile constitui poterit, nisi eum inter Caryas et Manthuriensium pagum, qui solis occasum versus, agro Pallantiensi finitimus, quinquaginta stadia ab ipsa Tegeatarum urbe aberat et Pausaniae temporibus adhuc exstabat (4), velis ponere. Echeuethensium pagus videtur septentrionem versus situs esse.

Ipsam autem Tegeam urbem octavum pagum fuisse censeo, etsi sint, qui locum quendam apud Stephanum Byzantinum (5) quo Tegeatidis oppidulum *Οἶος* citatur, secuti, pro Tegeatico, pagum Oiatarum ponendum esse cen-

---

(1) Hesych. v. Κάρυα. Steph. Byz. v. Κάρυα et Κάροια.

(2) Ross. p. 176.

(3) Paus. l. c. Πωταχίδας; π in β mutandum esse censeo; Steph. enim Byz. haec habet: Βωταχίδαι, τόπος Ἀρκαδίας, ἀπὸ Βωτάχου ·Νικόλαος ε ·Ἰοκρίτου δὲ τοῦ Λυκούργου Βώταχος ἀφ' οὗ ὁ τόπος Βωταχίδαι ἐν τῇ Τεγέᾳ ἐκλήθη.

(4) Paus. 8, 44, 6. cf. Steph. Byz. v. Μανθυρεῖς. Vici ruinas vidit Ross. p. 62.

(5) Steph. Byz. s. v. Οἶος.

scant (1). Pausanias quidem octavum pagum silentio transiit, neque oppiduli illius, quamquam hanc regionem diligentissime descripserit, ne ruinas quidem novit; quod tamen silentium consequatur videtur necesse esse, quod Tegeam ipsam antiquissimis temporibus conditam esse tradant, itaque est quod omnium pagorum primum fuisse existimemus Tegeaticum. Ultimum Aphidantium demum, Aphidante regnante, accessisse accepimus, neque tamen de ejus situ e nomine conjicere possumus.

Quinque omnino viae nostrisque etiam diebus magnam partem tritae in finitimas Peloponnesi regiones e Tegeatide ducebant, quarum prima Mantinea per medium quercetum, cui nomen erat Pelago, Tegeam ferebat, in quo, ubi terminus erat inter Tegeatas et Mantinenses, aram rotundam videres (2). Orientem versus duabus viis, altera ex Argolide altera e Thyreatide in Tegeatidem proficiscebantur. Huic autem viae, quae Tegea Argos ferebat et antiquis temporibus vehiculis, quare *Τρόχος* vocabatur (3), terebatur, neque tamen nostris diebus ad eandem rem apta habetur, Aesculapii aedes cum ejus signo adjacebat (4); praeterea Apollinis Py-

(1) F. W. Hoffmann, Griechenland u. d. Griechen im Alterthum. Leipz. 1841. II. p. 1176. Kortüm Hellen. Staatsverf. p. 135.

(2) Paus. 8, 11, 1. Angustiae inter Mantinensium et Tegeatarum fines, per quas iter ferebat, duplici muro munitae erant, quorum fragmenta et nostra aetate inveniuntur. Gell. p. 65. Dodwell Tour. Vol. II. p. 421. Expédition scientifique de Morée T. II. p. 84.

(3) Paus. 2, 24, 8.

(4) Paus. 8, 54, 4. sq. cf. 2, 24, 6. cf. 8, 6, 2. Pouqueville T. IV. p. 169. Hac via Antigonus agmine citato intra duos dies Tegea Argos profectus est.

thii templi ad laevam unum ferme stadium ab recta via remoti rudera vidit Pausanias. Secundum autem rectam viam Cereris ἐν Κορυθεῦσι aedes, condenso querceto circumdata, proximumque Bacchi Mystae erat fanum. Inde Parthenius mons se attollit, cujus in fastigio, ubi nutritum a cerva Telephum tradunt, ara heroi illi dedicata proximumque, quo loco e ficta Tegeatarum et Atheniensium narratione Philippidae nuncio ad Lacedaemonios de Persarum irruptione in Atticam misso, occurrisse Pana ferebant (1). Panis templum ostendebatur. Quam ob rem testudines, quibus saltus abundabat, etsi ad lyras compingendas essent accommodatissimae, capere sibi nefas esse putabant. Hoc fastigio relicto, via ad Hysias (2), qua fines inter Tegeatas et Argivos, in agrum Argivum descendebat et Creopolo (Ktenia) monte superato (3) recta Argos ferebat. Altera via (hodie adhuc trita vicosque Rhizés, Dovgliana, Magvla tangens) (4) in Thyreatidem Tegea ducebat, in qua Gareatem amnem transgressis Panis fanum juxtaque illud quercus, deo sacra, erant memorabiles (5). Nobilissima per saltus meridionalis angustias (6) (Karavathi) unusque Lacedaemoniorum in Tegeaticum agrum transitus, erat via illa, quae juxta Alphei (Saranto-Potamo) fluminis alveum Tegea Spartam ferebat, qua via ad laevam duo stadia ab urbis muris progredientibus Panis Jovisque Lycaei fana et novem ferme inde stadia Dianae Limmatidis ae-

(1) Paus. 8, 54, 4. cf. 1, 28, 4. — (2) Ross p. 147. sq.
(3) Strabo 8, 3. — 4) Pouqueville. T. IV. p. 173.
(5) Paus. 8, 54, 3.
(6) His in angustiis et hodie munimentorum fragmenta inveniuntur.

des, in qua ex ebeno, operis Aeginetici, deae erat signum, exstabant (1). Aberant hinc stadia circiter decem Dianae Cnaceatidis et Aleï templa (2). Pallantium, quae ferebat, viae (3) aqua, cognomento Leuconia et Dianae templum (4) et ad viae dextram Cresius mons, cujus in fastigio Aphnei templum conspiciebatur adjacebant (5).

§. 2.

URBIS DESCRIPTIO. ARCHITECTURA.

Jam ad urbem ipsam accedamus. De urbis autem magnitudine ac praestantia non solum e nobilissimorum templorum domorumque publicarum a Pausania allato numero, sed etiam e ruinis, etsi fere funditus evanuerint, magnum per spatium disjectis colligi potest. In veteris urbis ruinis nunc duo vici, quos dicunt Piali et Palaeo-Episcopi. exstructi sunt. Hujus autem ecclesia in colle paullatim ad planitiem redeunte (Hagio Sosti), qui in septentrionali urbis parte quondam ascendebat, exstructa eminet. Saxa marmorea, egregio opere facta, columnarumque dorici, ionici, corinthiaci ordinis fragmenta, quinque pedibus interdum crassiora, Minervae

(1) Paus. 8, 53. 5.

(2) Sylburgii emendatio, Ἀλφειοῦ pro Ἀλεοῦ non necessaria esse mihi videtur.

(3) Paus. 8, 44, 6. — (4) Xenoph. Hell. 6, 5, 9.

(5) Equidem, Pausaniae verba sequens, in tabula mea Cresium montem magis septentrionem versus promovi, quam in Kieperti tabulis designatum video. Rossins p. 59. collem haud procul a vico Vunó Cresium fuisse censet. — Fontem Leuconiam vidit Rossius p. 59. prope vicum Kerasitza.

Aleae aedis fortasse quondam columina, dispersa sunt per planitiem, quibus saxis ac columnis quum omnes fere illius regionis puteos tum Tripolitzae aedem sacram exornarunt (1). Urbis vero circuitus florentissimis temporibus, quam quibus Pausanias eam adiit, major videtur fuisse, siquidem ipsis scriptoris verbis, quibus Orestis sepulcrum *καθ' ἡμᾶς οὐκέτι πυλῶν ἐντὸς* (2) fuisse contendat, fidem habere licet. Quinque omnino portae, per quas in singulas, quas supra nominavimus, vias pervenires, quarum tamen solam Pallanteam nomine cognovimus (3), urbi videntur fuisse.

Tegea urbs in quatuor dividebatur tribus, quarum nomina, Clareotis, Hippothoitis, Apolloneatis, Athaneatis, ab agri sorte, quam Arcas liberis proposuerat suis simulque ab Hippothoo, Cercyonis filio, ducta, et apud Pausaniam (4) et in marmore Tegeae reperto (5) nobis

---

(1) Leake trav. I. 125. Pouqueville voy. T. V. p. 126—128. Gell. itin. p. 140. Dodwell Tour. Vol. II. p. 418. Expédition scientifique T. II. p. 83. Tripolitza quinquaginta circiter stadia a Tegeae ruinis abest.

(2) Paus. 8, 54, 3. — (3) Xenoph. Hell. 6, 5, 9.

(4) Paus. 8, 53, 3.

(5) Boeckh Corp. Inscr. 1513. cf. Paus. l. c.— Pausanias: Κλαρεῶτις, Ἱπποθοῖτις, Ἀπολλωνεάτις, Ἀθανεάτις. Corp. Inscr. l. c. marmor parieti ecclesiae episcopalis Palaeo-Episcopis insertum: Κραριῶται πολῖται. κρᾶρος enim vetustior pro κλᾶρος, sorte, forma; sic Ναυκρᾶροι. Ἱπποθοῖται πολῖται. Ἀπολλωνιᾶται πολῖται. ἐπ' Ἀθαναίαν πολῖται. Hac in tabula, eorum nomina, qui in honorem Jovis Clarii celebratis ludis victoriam reportarunt, tributim inscripta singulis tribubus et inquilinorum nomina addita sunt, unde intelligi potest, inquilinos, ob magnum eorum numerum quatuor tribubus adscriptos fuisse; qualis inquilinus et Rhegio exsul Micythus (cf. infra de Micytho) videtur fuisse. Singulis tribubus sacerdotes (ἱερεῖς in marmore dicti) praeerant, qui, prout haec

sunt conservata. A singulis tribubus Apollini Agyieo quatuor, singula a singulis posita erant signa (1). Excelsior urbis pars, το χωρίον τὸ ὑψηλόν (Hagio-Sosti) (2), in qua complures Tegeatis erant arae, et nunc ecclesia quaedam conspicitur (3), cui marmor illud, de quo supra

---

vel illa tribus eo anno praesidebat, nomen fortasse afferebant anno, ita ut quinto quoque anno una eademque tribus prima sederet. Quam ob rem vir doct. Boeckhius singulos hac in tabula annos ex repetitis sacerdotum nominibus, qui praesidentis tribus sacra faciebant, acutissime disjunxit. Ad tribuum vero nomina quod attinet, quis est, quin Pausaniae illud dictum, regiones tres ex Arcadis sortibus appellatas esse, fabulosum dicat? Equidem potius putem, Clariotarum, Appolloniatarum, Athanaïtarum regiones ab iis templis, quae cingerent, traxisse nomina; Jovis igitur Clarii accolas Clariotas, Apollinis Appolloniatas, Minervae Aleae Athaneatas nominatos fuisse, quam ad conjecturam mirifica illa inscriptionis forma, ἐκ᾽ Ἀθαναῖαν πολῖται, pro quibus ἐκ᾽ Ἀθαναίας scil. οἴκῳ πολῖται, potius legam, i. e. ad Minervae templum habitantes, adductus sum. Minervae autem Aleae cultum quum Tegeae antiquissimum fuisse sciamus, Athanaïtarum igitur tribus antiquissima, Hippothoïtarum vero fuisse novissima videtur. Cives autem illi, qui, novem pagis in unam urbem consociatis, veteris urbis civibus admiscebantur Κλαριῶται i. e. qui fundos ex impositis quibusdam legibus exercebant, aut Προςπελάται (Theopomp. ap. Athen. 6, 27 cf. O. Mueller Dorier II. p. 69) nominabantur, Clarotarum in Creta insula simillimi, ubi Cydoniae, Gortyniae. Catrei conditores Tegeatae filios fuisse legimus. Paus. 8, 53. 2. Kortüm Hellen. Staatsverf. p. 135: Es ist wahrscheinlich, dass die Namen der Phylen von den göttlichen Vorstehern menschlicher Berufsarten entlehnt, ähnlich den Attischen Phylen, Handwerker, Priester Ackerleute und Krieger bezeichnen: Ἀθανεάτις = Ἀργαδεῖς = δημιουργοί. Ἀπολλωνεάτις = Γελέοντες = ἱεροποιοί. Κλαρεῶτις = Αἰγικορεῖς = γεωργοί. Ἱπποθοῖτις = Ὁπλῆτες = φύλακες.

(1) Paus. 8, 63, 1. — (2) 8, 53, 4.

(3) Dodwell II. p. 418.

diximus, insertum est, Jovis Clarii dicebatur (1), ubi, quod marmor nos docet, festos dies quotannis celebrabant Tegeatae (2). Qui collis et antiquissima Tegeae pars et acropolis, munimentis circumdata, videtur fuisse (3), circum quem, novem pagis in unam urbem conjunctis, novi considebant cives. — Vetus templum Minervae Aleae, ab Aleo rege fortasse ex arborum truncis, ut pleraque vetustissima templa, exstructum, incendioque subito conflagratum (4), (Ol. 96, 2) a Scopa ita est instauratum (5), ut usque ad Pausaniae aetatem omnia totius Peloponnesi templa quum magnitudine tum ornamentis structuraeque commensu superaret (6). Triplici columnarum ordine aedes erat exornata, quarum primus extra templum, ionici operis ordo, alter ipso in fano collocatus cellamque cingens dorici, cui tertius corinthiaci impositus erat (7), mirifica sane ordinum structura, neque triplici illa columnarum compositione florentissimis architecturae temporibus, nisi hac in aede veteres

---

(1) De notatione, quae apud Pausaniam l. c. de Jovis Clarii nomine commemoratur cf. c. II. diss. de Jove Clario.

(2) Etsi ludi, qui in marmore commemorantur, in μεγίστου καὶ κεραυνοβόλου Ζηνὸς honorem celebrati sint, hunc tamen Jovem et Jovem Clarium eosdem fuisse censeo, praesertim quum Tegeaticorum tantum victorum nomina allata sint, atque epitheton κεραυνοβόλος vi et natura cum Clario conjungi possit.

(3) Collis illius notio fit apud Polyaen. 1, 8. Polyb. 5, 17. Paus. 8, 48, 3 Φυλακτρίς. cf. Dodwell. II. p. 420. Ross. p. 69.

(4) Paus. 8, 45. 3. — (5) 8, 45, 4.

(6) Paus. 9, 41, 5. Apollinis Epicurii templum Bassis omnium, quae in Peloponneso erant, excepto uno Tegeatico, longe praestantissimum laudatur.

(7) Hirt Gesch. d. Baukunst. T. II. p. 47 templorum generi, quod Hypaethrus dicitur, aedem nostram adnumerat.

usos fuisse memoria teneo (1). Medio fere in fastigio antico aprum Calydonium et altera ex parte novem, ex altera sex heroes feram urgentes, postico autem Telephi et Achillis in Caici campis certamen videres (2). In templi cella inter Hygieae et Aesculapii signa, a Scopa sculpta, Minervae Aleae totum ex ebore signum ab Endoeo elaboratum stabat (3), quod quidem perniciosissimas flammas, non autem rapaces Caesaris Augusti

(1) Ecclesia vici Piali eo loco exaedificata est, quo Minervae Aleae aedes quondam sita erat cf. Ross p. 67. Leake I. p. 90. 97. II. p. 47. Capitulum dorici ordinis effossum est a. 1834. Ross p. 73.

(2) Paus. 8. 45, 4. Una a parte Meleager, Atalanta, Theseus, Telamon, Peleus, Pollux, Jolaus, Prothous Cometesque Thestii filii, ab altera Epochus Ancaeum jam saucium securimque abjicientem sublevans, Castor, Amphiaraus, Hippothous, Pirithous aprum urgebant, et, si quis disparem instantium heroum numerum miretur, commensum desideratum hac ratione restituere poterit. ut Meleagrum et Atalantam ipso in medio fastigio, aprum autem in Ancaeum sociosque irrumpentem elaboratos sibi fingat. Welcker Rhein. Mus. 1841. 1. d. Giebelfenster u. Metopen an d. Tempel zu Delphi p. 8. sq. Pausaniam trium virorum nomina aut negligentia aut nominum inscientia omisisse censet. Equidem vero auctorem nostrum interdum inscientiae, quam negligentiae criminari malim. Ovid. Met. 4, 440. Plexippum Toxeumque; Appollod. 1, 8, 2. Iphiclen, Euippum, Eurypylum, Plexippum Thestii filios nominat.

(3) Paus. 8, 46, 2. cf. Tiersch Epoch. d. gr. Kunst. p. 124. Alterum Minervae Aleae signum Scopas fecisse non videtur, neque e Pausaniae verbis id colligi potest, quam quidem sententiam Hirtius: Geschichte d. bildend. Künste et E. Gerhardus: Prodrom. mythol. Kunsterkl. p. 182 adspernantur. Si Scopas Minervae signum sculpsisset, cur Minervae Hippiae statua e Manthuriensium pago Tegeam, vetere Endoei opere ab Augusto ablato, deportanda fuit?

manus effugere potuit (1). E sedibus enim ablatum, tunc nova in patria victoris forum Romae exornabat. Postea e Manthuriensium vico Minervae Hippiae signum raptae deae loco Tegeam deportatum fuit, deae vero, Hippiae cognomine mox abjecto, Aleae ab omnibus Graecis tributum est nomen (2). In templo ipso lectus Minervae sacer (3) cum picta ejus imagine, et deae ara stabat (4), Melampodis, Amynthaonis filii, opus; cujus parieti antico Rheae et Oenoës, parvulum Jovem tenentium, parietibus lateralibus quaternarum utrinque nympharum, alteri Glauces, Nedae, Thisoae, Anthraciae, alteri Idae, Hagnus, Alcinoës, Phrixae, parieti vero postico Mnemosynes Musarumque (5) insculpta erant simulacra. Minervae praeterea peplum, a Laodice, Agapenoris filia, Tegeam missum (6), Marpessae scutum, et compedes illae, quibus vincti Lacedaemonii captivi in agro Tegeatico opera facere coacti sunt, ibidem suspensae erant (7). Caledonii quoque apri corium dentesque, quos Romam abstulit Augustus (8), et praesepe, post pugnam Plataeensem e Mardonii manubiis Minervae dicatum (9), ostendebantur. Fons prope quem ab Hercule Auge, Alei filia, stuprata ferebatur (10) et stadium, in quo ludos solemnes, qui Alaea et Hilotia dicebantur, edebant Tegea-

---

(1) Paus. 8, 46, 1. — (2) 8, 47, 1. — (3) 8, 47, 2.
(4) 8, 47, 2. cf. 8, 31. 2. —
(5) Vetus illa Musarum trias, quarum ipsa Mnemosyne tertia, in postico arae pariete fuisse exculpta videtur, ut figurarum numerus ei, quem in antico pariete vidimus, responderet. —
(6) Paus. 8, 5, 2. — (7) 8, 47, 2. — (8) 8, 46, 2.
(9) Herod. 9, 70. — (10) Haud procul a Piali vici ecclesia fons abest, ne aestate quidem siccus, quem eundem, quem supra commemoravimus, fontem fuisse opinatur Rossius p. 68.

tae (1), haud procul a Minervae Aleae templo conspiciebantur. — Circumdabant vero forum, laterculo haud dissimile, unde Veneri, cujus aedes cum signo marmoreo ibidem eminebat, in Laterculo (ἐν πλίνθῳ) enatum est cognomen (2): Jovis Teleï templum cum dei signo Hermarum in modum facto, qua forma Arcades praecipue delectari videbantur (3), Ilithyiae ἐν γόνασι cum signo aedes, quo loco Augen, quum abduceretur, in genua procidisse Telephumque filium enixam esse tradebant (4), Telluris ara (5), juxta quam e candido lapide pilae duae, quarum alteri Polybii, alteri Elati statua imposita erat, erectae cernebantur (6). Ad haec eodem in foro pilae duae, quarum una quatuor Tegeatarum legislatorum, Antiphanis, Croesi, Pyronidis, Pyriae simulacra, altera Jasii, laeva equum detinentis, dextra palmae ramum ferentis, statuam sustinentes (7), nec non Tegeatae uxorisque Maerae sepulcra (8) et Martis Gynaecothoeni signum pilae insculptum (9) exstabant. Haud procul a foro theatrum eminebat (10), ante quod aenearum erant statuarum sedes, statuis ipsis Pausaniae aetate ablatis, unique tantum sedi incisa elegia Philopoemenis statuam ei impositam fuisse testabatur (11). Illud vidit Pausanias. Nescio tamen an hoc theatrum idem, quod Antiochus Epiphanes Tegeatis e marmore facere insti-

---

(1) Paus. 8, 47, 3. — (2) 8. 48, 1. — (3) 8, 48, 4.
(4) 8. 45, 5.
(5) 8, 45, 6. — (6) l. c. — (7) 8, 48, 1.
(8) Paus. 8, 48, 4. — (9) 8. 48, 3.
(10) 8, 49, 1. Ecclesia episcopalis vici Palaeo-Episcopi in veteris theatri cavea exstructa est. Ross p. 68.
(11) Paus. l. c. cf. 8. 52, 3.

tuisset (1), fuerit, nec ne. His, quae hucusque commemoravimus aedificiis addenda sunt deorum templa, ut Mercurii Aepyti (2), Minervae Poliatidis (3), Dianae Hegemonis (4), Veneris Paphiae (4), Cereris Coraeque Frugiferarum (6), Liberi Patris (7), Proserpinae (8), Apollinis cum inaurato simulacro, Chirisophi opere (9), cui Chirisophus ipse (10) e marmore appositus erat, Vestae denique aedes, quam communem Arcadum focum vocabant (11). Ibidem Herculis erat simulacrum, cujus in femore cicatricem e vulnere, quod in prima cum Hippocoontis filiis dimicatione acceperat, cernebatur (12). Alei quoque domum et Echemi sepulcrum pilaeque incisam Echemi cum Hyllo pugnam (13), et locupletissimum a Tegeatis Agathonis sumptibus exstructum balneum (*θαῦμα καὶ ἐσσομένοις*) (14) laudant veteres scriptores. *Δεσμωτήριον* praeterea et *ἡ δημοσία οἰκία* commemorantur a Xenophonte (15).

(1) Liv. 41, 25. — (2) Paus. 8, 47, 5.
(3) 8, 47, 4. — (4) l. c. — (5) 8, 53, 3.
(6) l. c. cf. Ross p. 68. sq. — (7) l. c.
(8) l. c. — (9) l. c.
(10) Thiersch Ep. d. gr. Kunst. p. 137. Boeckh. Corp. Inscr. p. 19. Panofka von e. Anzahl antik. Weihgeschenke p. 27.
(11) Paus. 8, 53, 3. — (12) l. c. — (13) 8, 53, 4.
(14) Brunck anal. epigr. adespot. 342.
(15) Xenoph. Hell. 7, 4, 36. Marmor quoddam, a Pouquevillio IV, p. 275 sq. editum, not docet, Tegeae gymnasium fuisse.

Cap. II.

DE REBUS SACRIS.

§. 1.

PAN. JUPITER. VESTA.

Nulla universae Graeciae pars soli natura dignior est, quae diligentius etiam atque etiam exploretur et cognoscatur, quam Arcadia. Altissimis montium jugis modo leviter modo praerupte in valles redeuntibus haec terra cingitur atque scinditur. Interjecta inter illa arva prataque, fecunda fontibus, amnibus, lacubus, affluentibus aqua ineunti vere, arescentibus aestate, irrigantur. Nullius terrae facies et adspectus laetior esse potest. Hanc terram Arcades habitabant, rusticum hominum genus e Pelasgorum gente oriundum, inquilinis non mixti, quos *αὐτόχθονας* Graeci vocant, pastores sub Jove vitam degentes omnemque curam ac studium in gregibus ponentes. Jam quis est, qui nesciat, quantum orientia aut occidentia sidera in greges influant. Radiis solis in summis montibus hiemalis nix liquescit; fontes, quibus pascua virescunt hominesque et greges vigescunt, aqua

tument. Sol oriens lupos (λύκους) sub diluculum gregibus instantes in montium latebras abigit; vitae alacritas per omnem naturam solis radiis effunditur. Haec igitur potissimum divina solis vis pastórum animos ad eam sub dei nomine ac specie colendam permovit. Hinc antiquissimus apud Arcades Panis cultus (1), hinc postea ceteri fere omnes Arcadum cultus, qui ad lumina referuntur profecti sunt. Nemo igitur mirabitur, quod in Parthenio monte, ubi Philippidae Pana occurrisse tradunt Tegeatae (2), Panis fanum exstructum sit testudinesque, quibus saltus abundaret ad lyras compingendas accommodatissimae deo sacrae habitae easque attingi vetitum sit (3). Quantopere vero Arcades musicam amaverint, nemo facile non cognoverit (4). Ex hoc igitur testudinum cultu percipi potest, quam arcte vetustissimus ille Pan et cum Mercurio, qui primus e testudine lyram compegit et cum Appolline, qui lyram a Mercurio accepit, vi atque natura conjunctus sit. In honorem Panis Nomii etiam vicum Melpeam appellarunt Arcades (5). Alterum Panis templum juxta Jovis arborem, quercum. ad viam, quae Thyream ducebat, situm erat (6).

---

(1) Schwenk Etymol. mythol. And. p. 213 Pana derivat a verbo φάνης, φάω, φαίνω. cf. Motty de Fauno et Fauna sive de Bona dea diss. cf. Creuzer Symb. III. p. 258.

(2) Paus. 8, 54, 5. cf. 1, 28, 4.

(3) 8, 54, 5. — (4) Polyb. — (5) Paus. 8, 38, 8.

(6) 8, 54, 3. — Anaglyphum marmoreum Tegeae a. 1834 repertum, barbatum, capripedem Pana, manibus syringem et pedum tenentem ostendit. cf. Ross Reisen im Pelop. p. 70. Archaeol. Intelligenzbl. d. allg. Litt. Z. 1837 p. 38. Inscriptionis litterae valde sunt exesae attritaeque. cf. Ross Incr. gr. ined. fasc. I, 3.

Alia Panis forma eademve erat ille Arcadicus Jupiter (1). Hunc Jovem Pelasgicum in Arcadia natum quum Arcades affirmarent, nemo mirabitur, arae, quae in Minervae Aleae templo staret, Rheam et Oenoën nympham Jovem puerulum tenentes Jovisque nutrices, Glaucen, Nedam (2), Thisoam, Anthraciam, Idam, Hagnónem, Alcinoën, Phrixam insculptas fuisse (3).

Pani simillimum modo Lycaeum cognomento modo ipsius Lycaonis sub forma Jovem ab Arcadibus cultum esse scimus; permulta etiam Arcadica nomina hunc Jovem Lupercum memorant, veluti Lycaon, Lycoa, Lycomedes, Lycortas, Lycuria, Lycosura, Lyctus, Lycaotis, Lycurgus, Lycastus, Autolycus, Leucone, Apollo et Pan Lycaeus cet. Singularis vero Jovi Lycaeo dedicata erat aedes in via, quae Spartam ferebat (4). — In excelsiori urbis parte complures arae Jovi Clario sacrae stabant, ad quas festos dies Tegeatae quotannis agitabant (5). Cognomen illud deum a sortibus (κλῆρος) (6), quibus Arcas terram filiis diviserit, accepisse Pausanias affirmat. Mihi potius luminis virtus deo illi attribuenda videtur, quae quidem dei natura ex ipsa Pausaniae narratione (7) elucet, Lacedaemonios in Tegeatas ludos in Jo-

(1) Paus. 8, 30, 2 cf. 8, 38, 4.

(2) Neda a Callimacho hymn. in Jov. 33. Cretensium Jovis nutrix vocatur, quae puerum ex Arcadia Gnossum Cretae oppidum transtulerit.

(3) Paus. 8, 47, 2. Apud Pausaniam in Megalopolis descriptione 8, 31, 2. similis arae mentio fit, in qua Naïdem nympham cum puerulo Jove nymphasque Anthraciam, Hagnonem, Archirroën, Myrtoëssam adstantes cerneres.

(4) Paus. 8, 53, 3. — (5) 8, 53, 4. cf. c. I. §. 2. diss.

(6) Schwenk p. 111. — (7) Paus. l. c.

vis honorem celebrantes impetum fecisse, sed, quum multa e coelo effunderetur nix (νίφειν γὰρ τὸν θεόν), frigore, graviter sub armis laborasse; Tegeatas interea clam hostibus ignes accendisse et mox frigoris incommodo liberatos, armis arreptis hosti occurrisse victoresque paulo post revertisse. — Ara etiam Jovi Teleo exstructa erat (1) cum signo quadrangulo, hermarum in modum elaborato, quae forma Arcadibus gratissima videbatur. Jupiter vero Telëus ejusque, quam Megalopoli venerabantur, uxor Juno Telea (2) i. e. salutis bonique eventus largitores, signorum forma a Mercurio Chthonio nihil differunt.

Vesta denique domesticae civilisque concordiae conservatrix eademque tutelaris civitatium civiumque flamma, et Tegeae (3) et Mantineae (4) cognomento κοινὴ Ἀρκάδων colebatur. Nomen ipsum superbiam quandam Arcadum, qui indigenas, nullis inquilinis mixtos, uno ex semine ortos unoque foedere conjunctos se praedicarent, satis indicat. Panis vero natura apud Arcades proxime ad naturam Vestae accedit, ut deus propemodum deae socius nominari possit (5).

---

(1) Paus. 8, 48, 4. — (2) 8, 31, 5.
(3) 8, 53, 3. — (4) 8, 9, 2.
(5) 8, 37, 8. Pani ignis perpetuus ardet, cf. Creuzer Symb. III. p. 262.

§. 2.

MINERVA. AESCULAPIUS. HYGIEA. HERCULES. ILITHYIA.

Magnificentissimum Tegeae exstabat Minervae, cui Aleae cognomentum erat, templum illud, vetere templo incendio deleto a Scopa Pario, ut supra demonstravimus, exaedificatum (1), quum magnitudine ac structura, tum asyli sanctitate (2) inter primas universae Graeciae aedes numerandum. Minervae Aleae praeterea et Mantineae (3) et Aleae (4) et in Laconia (5) templa consecrata erant. Vetere Minervae signo, quod ab Endoeo totum ex ebore confectum esset (6), ab Augusto Romam ablato (7), alterum deae signum postea e Manthuriensium pago, in quo Minerva cognomento Hippia, quod e Manthuriensium narratione in deorum adversus Gigantes pugna dea in Enceladum immisisset bigas, colebatur, deportatum novoque simulacro vetus illud Aleae nomen Graecorum usu inditum esse tradunt (8). Respicientibus ad duo illa deae cognomina perspicuum erit, cognomen Hippiae in Aleam commutari non potuisse, nisi Minervae Hippiae et Aleae similitudo quaedam fuerit. Interpretes Iliadis (9) explicant *ἀλέη* verbis *ἔκκλισις*, *ὑπάλυξις*, i. e. salutem afferens fuga (10) aut liberatio e repugnan-

---

(1) Paus. 8, 47. 1. sqq. cf. c. I. §. 2. diss.

(2) Chrysis, Leotychides, Pausanias in deae asylum supplices confugerunt cf. c. IV. diss.

(3) Paus. 8, 9, 3. — (4) 8, 23, 1.

(5) 3, 19, 7. — (6) 8, 46, 2. — (7) l. c.

(8) Paus. 8, 47, 1. — (9) Hom. Il. 22, 301.

(10) Wesseling ad. Herod. 1, 66. cf. Etymol. M. ἀλέσθαι =

tia et perseverantia effecta. Quo quidem consilio Tegeatae victis et in fugam conversis Lacedaemoniis erepta vincula in Minervae Aleae templo suspenderunt (1) idemque sensus illi inest narrationi, Enceladum a Minerva Hippia immissis bigis in fugam conversum esse. Hesychius (2) *Ἀλέα* verbis *θέρμη*, *θάλπος* interpretatur; Minerva igitur Alea continet caloris vim ac notionem, qua aluntur et crescunt omnia eademque luminis fontem salutarem, vitaeque est procreatrix (3). — Quin etiam omnia eorum hominum, qui Minervae Aleae adnectuntur, nomina ad lumen sunt referenda; Auge enim, i. e. splendor solis, Minervae sacerdos et Telephus (4) (a verbis τηλὸς et φῶς) illius ex Hercule, quem luminis vim habere constat (5), filius vocantur. Denique omnia fere numina, quae in Arcadia summa religione colebantur, siderum cultum prae se ferunt (6). Nec minus Minervae Hippiae eadem dignitas atque significatio est. Gigantibus enim, illis tenebrarum veluti auctoribus, Minervae

---

ἐκκλῖναι ἀναχωρῆσαι, κυρίως δὲ τὸ ἀπὸ πυρὸς ἐκφυγεῖν, ἀλέα γὰρ ἡ θέρμη τοῦ πυρός.

(1) Paus. 8, 47, 2.

(2) Hesych. v. ἀλέα. cf. Suidas v. ἀλέα. Etymol. M. Ἀλέα ἡ θερμασία· ἀλεὰ λέγεται ὁ τόπος ὁ ὑπὸ τοῦ ἡλίου θερμαινόμενος. Sacer igitur Minervae avis ἀλέκτωρ cf. Etym. M. καὶ ὁ ἥλιος λέγεται· ἀκάματον γὰρ αὐτὸν λέγει Ὅμηρος. ἐπεὶ ἀγρύπνως τὸν συνήθη δρόμον ἐκτελεῖ. cf. Henr. Steph. v. Ἀλέα ἅλιος dor. dicitur sol, qui communi lingua ἥλιος.

(3) Creuzer Symb. II. p. 782 sq. 788 sq. cf. de Minerva Alea: Gerhard antike Bildwerke. p. 139. sqq. Tab. VIII. Welker Trilog. p. 280.

(4) de Telepho. cf. p. 33 diss.

(5) Creuzer Symb. II. p. 209. 228.

(6) cf. c. II. §. 1. diss.

Hippiae, Neptuni Hippii filiae (1), auxilio in Tartarum dejectis caelestia lumina novo splendore emicare et calorem, vitam, salutem totum per mundum effundere coeperunt (2).

Non longius quam stadium unum a Minervae Aleae templo agger aberat, ad quem ludos in deae honorem *Ἀλεαῖα* (3) ex Minervae ipsius cognomine, et *Ἁλώτια* (4) in memoriam pugnae, qua permultos Lacedaemonios ceperant, appellatos, Tegeatae celebrabant.

Nemo certe mirabitur Minervae Aleae signum inter Hygieam et Aesculapium, cui praeterea haud procul a

---

(1) Neptuni Hippii prope Minervae Hippiae aram Athenis stabat. Paus. 1, 30, 4. Aliae arae Minervae Hippiae Acharnis et in sylva Alti prope Martis Hippii aram. Paus. 1, 31, 3 cf. 5, 15, 4.

(2) Bröndstet Reis. u. Unters. in Griechenl. T. II. p. 312. Tab. 52. p. 239. Vign. 2. cf. c. III. diss. nummo cuidam Tegeatarum galeatum alatumque Minervae caput impressum vidit. cf. Gerhard. Prodrom. p. 118. Not. 32. Minervae cognomen ad verbum latinum aleam spectans cf. Bullet. d. Inst. arch. Vol. IV. p, 71 sqq. Gerhard auserles. Vasenbild. p. 137.

(3) Paus. 8, 47, 3 cf. Schol. Pind. Ol. VII, 153. Praeterea festi illius fit mentio iu marmore Tegeae reperto, unde Ἀλαῖα in Ἀλεαῖα corrigendnm esse censeo. cf. Boeckh Corp. Inscr. Nr. 1514.

(4) Paus. 8, 47, 3. Amasaeus legit Εἱλώτια; sed Ἁλώτια dorice fortasse positum pro Ἁλώσια cf. Sylburg. ad Paus. l. c. cf. de Minerva Capta apud Romanos Ovid. Fast. 3, 837 sq. Similes ludi celebrabantur: Suid. Ἑλλώτια, ἑορτὴ Εὐρώπης ἐν Κρήτῃ. — Ἅλια in honorem solis agitabant Rhodii cf. Meursii G. F. In Minervae Hellotidis honorem Corinthii celebrabant Ἑλλώτια. Villois. an. gr. cf. Pind. Ol. XIII, 56. In Simonidis epigrammate Nicoladam Corinthium inter multos alios locos etiam Tegeae reportasse palmam legimus: dubitari quidem potest, num in ludis Minervae an Jovi Clario celebratis cf. Brunck. anal. I. p. 140.

Tegea singulare templum exstructum erat (1), positum fuisse (2); quis est enim, quem effugiat, quam arcte Minervae natura cum duobus illis artis medicae inventoribus ac praesidibus fuerit conjuncta? Nonne Aesculapius stillantem e Gorgoneis venis sanguinem ad excitandos ex Acheronte mortuos acceperat (3)? Nonne Minervam ipsam cognomentis Paeoniam (4) et Hygieam (5) in Attica cultam esse legimus?

Minerva est igitur vis medica naturae. Ut Minerva Alea caloris vitaeque vim, qua omnia recreantur, repraesentat, ita Solis sive Apollinis filius, Aesculapius hanc vim salutarem continet facileque inde utriusque numinis conjunctio intelligi potest. Jasii quoque nomen (a verbo *ἰάομαι*), cujus statua in foro Tegeatico erecta stabat (6), ad Aesculapii numen spectat.

Minervae Aleae sacra administrabat puella, antequam pubesceret (7), qui usus ab aetate Auges, quam puberem deae sacerdotem Hercules stupro affecerat, videtur invaluisse.

Parvula illa deae sacerdos Tegeatarum de Auge et Hercule ad narrationem nos adducit. Recentissimis demum temporibus arctissimae illius inter Herculem et Minervam conjunctionis facta est mentio (8). Sic apud

---

(1) Paus. 8, 54, 4. — (2) 8, 47, 1.
(3) Apollod. 3, 10, 3. — (4) Paus. 1; 2, 4.
(5) 1, 23, 5. cf. Creuzer Symb. II. p. 740 sqq. 395.
(6) Paus. 8, 48, 1.
(7) 8, 47, 2. Marmor quoddam Tegeae repertum ad hanc Minervae sacerdotem spectat cf. Ross. Inscr. Gr. fasc. I. Nr. 1 et 2.
(8) Gerhard Auserles. Vasenb. p. 144. cf. Braun Tages. Tab. I.

Tegeatas quoque Herculem (i. e. solem) (1) cum Minerva Alea, vel potius cum deae sacerdote Auge (i. e. solis splendore) conjunctum videmus. Variae de Auge ferebantur fabulae. Hecataeus (2) enim Augen, Alëi (3) regis filiam, ab Hercule, quum forte Tegeam venisset (4), stupratam et a patre, ubi filiae partum cognoverit, cum puero in arca conclusam in mare esse abjectam, quae ad Mysiae littora delata sit, tradit. Teuthrantem vero, camporum ad Caïcum flumen tyrannum, foeminae formam admiratum, benigne eam accepisse et in matrimonium duxisse (5). Altera ex narratione (6) Augen dicunt, quum gravida a Nauplio Alëi jussu in mare demergenda abduceretur genibus nixam peperisse puerum, quo in loco Tegeatae Ilithyiae ἐν γόνασι templum dedicarint. Ilithyia igitur eandem habet vim et notionem atque Auge paritura deaeque signum videtur feminam

---

(1) Macrob. Sat. 1, 20. Creuzer Symb. II. p. 205. 209. 255.

(2) Paus. 8, 4. 8. cf. 8, 47, 3.

(3) Etymol. M. v. Ἀλεὸς, ὁ ἥρως, ὁ πατὴρ Αὔγης, παρὰ τὸ ἀλῶ παράγωγον ἀλεύω. Ἀλεύω, φεύγω, παρὰ τὴν ἀλέαν τὴν θέρμην, ἀλεῶ καὶ ἀλεύω κυρίως τὸ ἀπὸ τοῦ ψύχρους εἰς θερμασίαν ἀποφεύγω.

(4) Ovid. Fast. 1, 545.

(5) Pausaniae etiam temporibus Pergami exstabat Auges monumentum, terrrenus tumulus, lapidea circumseptus crepidine, cui nuda ex aere femina imposita erat, qua forma Veneri Anadyomenae simillima non dubium est, quin e mari profectam coluerint Augen. Etiam nummi quidam Pergameni (Mionnet D. d. M. suppl. V. p. 421.) Venerem talem Anadyomenen altera parte, altera Minervae caput exhibent. Telephum quoque, Auges filium divinis honoribus afficiebant Pergameni. cf. Paus. 5, 13, 2.

(6) Paus. 8, 48, 5. cf. Diod. Sic. 4, 33. Tzetz. Lycophr. 206. cf. Welcker Kadmus p. 12. Gerhard antike Bildw. T. I. Anm. 75. 76. 59.

in genua procumbentem repraesentasse. — Ab illo diversus est Tegeatarum ipsorum sermo (1), qui Augen clam patre Telephum enixam eumque in Parthenio monte, Alei regis, jussu, expositum esse, ubi cerva parvulum nutrierit, credebant. E quarta fabulae variatione (2), Auge Minervae Aleae sacerdos puerum, quem ex Hercule gravida peperit, clam in deae aede deposuit. Pestilentia vero ac infecunditate in agros immissa, quum oraculo edictum esset sanctissimam Minervae sedem pollutam esse, Alëus rex, facinore patefacto, filiam Nauplio tradidit. Is, matre Teuthranti regi vendita, filium in Parthenio monte (i. e. Viraginis vel Minervae monte) exposuit. Ibi inventum puerum pastores Corythi regis (3) e cerva, a qua eum servatum esse intellexissent, Telephum (a verbo ἔλαφος, litera τ praeposita) appellarunt (4). Itaque nonnullis Tegeatarum nummis Tele-

(1) Paus. 8. 48, 5.

(2) Apollod. 2, 7, 4. cf. 3. 9, 1. Hygin. fab. 99. De Thelepho cf. Pollux. On. 5, 78 cf. Aelian. h. a. 7, 39.

(3) Diod. Sic. 4, 33. De Corytho rege cf. c. II. §. 5. diss. Telephum a Corythi regis pastore repertum in nummo quodam Tegeatico videmus. cf. Münter ap. Heeren Bibl. d. alt. Litt. u. Kunst. p. 50. sqq. cf. c. III. diss.

(4) Telephi nomen derivari a vocabulo Ἔλαφος mirum mihi videtur; praestat a verbis τηλός et φῶς, ut sit longe fulgens (der Weitleuchtende), deducere, praesertim quum parentium nomina, Augen, Herculem, Alëum, Minervam Aleam, quae omnia luminis vim significant, respicias. Maculata etiam pardalis ac cervae pellis haud raro in coelum stellifer est referenda. cf. Creuzer Symb. III. p. 329. Memor. dell' Acad. d. Torino XXIX. p. 99. Tav. IV. 1. Eodem loco, ubi Telephus, Atalanta exposita et ab ursa nutrita est cf. Aelian. v. h. 13, 1. — Tegeatarum de Telepho narrationi illa Cretensium fabula de Mileto, Apollinis et

phum cerva ubera praebente (5) eundemque in Cydoniorum nummis impressum (6) reperimus. Telephi et Achillis certamen postico Minervae Aleae templi fastigio a Scopa insculptum (7) fuit. Praeterea in summo Parthenio monte eo loco, ubi expositus erat Telephus, herois ara ostendebatur (8).

Minervae Poliatidi dedicarunt Tegeatae templum, *τὸ τοῦ ἐρύματος ἱερὸν* hac de causa vocatum (9). Hercules Cephëum, Alëi regis filium, cum ejus filiis ad bellum contra Hippocoontis filios invitasse fertur. Cepheus vero metuens, ne, si urbem reliquisset, Argivi Tegeatarum agros popularentur, belli participem se fore negavit. Hercules vero detonsam de capite Gorgoneo comam,

---

Ariae (Apollod. 3. 1, 2) sive Apollinis et Acacallidis filio (Paus. 8, 53, 2. cf. Anton. Lib. 30. Ovid. Met. 9, 442. cf. c. IV. diss.) simillima est; quae similitudo permultis Arcadum et Cretensium fabulis intercedit; neque tamen Hoeckio (Creta I. p. 149 sqq.) existimanti, fabulas illas e Creta in Arcadiam translatas esse, assentiar. Fabulae illae omnibus Pelasgis communes fuisse, formam tantum singulis Pelasgorum sedibus paulum aptasse mihi videntur. Aliter enim fieri non potuit, ut et Arcadia et Creta, principales Pelasgorum sedes, multarum fabularum originem, ut de Jove puero, de Telepho et Mileto, de Jasio cet. sibi vindicarent. — Jornandes de reb. Get. 9 Telephum Hercule et Auge, Priami sorore, natum vocat.

(1) cf. c. III. diss.

(2) cf. c. III. diss.

(3) Paus. 8, 45, 4. De hoc certamine cf. Hygin. 101. Tzetz. Lycophr. 206. 211. Dictys Cret. 2, 3. Philost. Her. 2, 14, 17. Ovid. Met. 12, 112. 13, 171.

(4) Paus. 8, 54, 5. Apollod. 1, 8, 6. Telephi a cerva nutriti simulacrum in Helicone monte (i. e. Lichtberg) constitutum vidit Pausanias. 9, 31, 2.

(5) Paus. 8, 47, 4. cf. Apollod. 2, 7, 3.

quam a Minerva in vase aheneo inclusam acceperat (1), Steropae, Cepheï filiae, hac conditione tradidit, ut hostibus aggressuris, comam ter supra muros tolleret; tunc enim, hostibus fuga salutem petentibus, Tegeam inexpugnabilem fore. Quam ad fabulam Tegeatarum nummus quidam a nobis infra explicatus (2) spectat. Singulis annis semel duntaxat vir sacerdos ad sacra facienda Minervae Poliatidis templum ingrediebatur (3).

Erat etiam Tegeatis Herculis simulacrum (4), cujus in femore cicatricem ex vulnere, quod prima cum Hippocoontis filiis dimicatione acceperat, cerneres (5).

---

(1) Pausanias l. c. tradit. Cephëum a Minerva Gorgonis accepisse comam.

(2) cf. c. III. diss.

(3) Paus. 8, 47, 4.

(4) 8, 53, 3. Illud armati Herculis simulacrum in ejusdem pugnae memoriam Spartae erectum cum Herculis Tegeatici statua conferendum est. Cf. Paus. 3, 15, 3.

(5) Anaglyphum in vico Palaeo-Episcopi repertum Herculem ostendit; inscriptio valde est deleta. cf. Pouqueville voy. IV. p. 276.

§. 3.

MARS. VENUS. MERCURIUS.

Duabus sub formis, quas nullo alio loco invenimus Tegeatae Marti sacra faciebant. Marti Aphneo (1), i. e. Lacturno, Uberi, in Cresio monte aedificatum erat templum. Tegeatarum enim e sermone, Aërope, Cephëi filia, a Marte vi oppressa, inter pariendum efflavit animam; at puer matrem complexus jam exanimem, lactis e mammis profluentis pro Martis voluntate copiam hausit, qua ex re Aphnëi nomen deo additum, puer Aëropus nactus est. Cujus fabulae hic esse mihi videtur sensus: permultos quondam fontes in Cresio monte, (namque vocabula *κρήνη*, fons, et *κάρα*, caput aquae, cum Cresio conjungenda, acsi lingua vernacula Quellenberg dicas) scaturiisse uberrimaque eorum aqua subjacentes agros fecundatos esse. Fontes igitur mammas, lac praebentes, Aphnëum vero Martem magnum illum fecunditatis effectorem, cui in mysteriis Samothraciis Axiocerso est nomen (2), simillimum Pluto, Cereris et Jasii filio, opinor fuisse.

Martis Gynaecothoeni i. e mulierum convivae, signum, ut rerum mulieribus, Marpessa duce contra Lacedaemonios fortissime, gestarum maneret memoria (3), in foro Tegeatarum pilae insculptum erat (4); viri autem

---

(1) Paus. 8, 44. 6. Anonymi conjectura est Ἀφλειοῦ et Ἀφλειόν legendum esse, quum *ἀφλητῆρες* sint *μαστοί*, *θηλαί*, quod Phavorinus habet et Hesychius. De Martis cognomine cf. Panofka Von e. Anzahl antiker Weihgesch. p. 33.

(2) Creuzer Symb. II. 320. 980.

(3) Paus. 8, 48, 3.

(4) Paus. l. c.

ludis coenisque sacrificalibus in honorem Martis institutis interesse vetabant. Hoc cum Marte ille Ἄρης γυναικῶν conferendus est, cui mulieres Argeae diebus quibusdam festis, qui Hybristica vocabantur, in memoriam Telesillae seorsum a viris sacra faciebant (1). Uterque Mars androgynus fuisse statuarumque sive ore, sive mammis seu genitalibus videtur ista natura ac forma expressa fuisse.

In foro, quod laterculi figuram gerebat, Veneris illius ἐν Πλίνθῳ cognominatae erat aedes et in ea deae signum marmoreum erectum (2). — Praeterea Veneri Paphiae, cujus templum Laodice, Agapenoris filia, dedicaverat (3), Tegeatae sacra faciebant. Ille enim Agapenor, Arcadum dux bello Trojano, domum rediens tempestatibus ab instituto navigationis cursu aversus, ad Cyprum insulam naves appulit et, condita urbe Papho, hoc in oppido Veneri, quae antea Golgis a Cypriis colebatur, cultum instituit. Sic Tegeatae Deae cultum exceperunt.

Mercurius Aepytus(4), qui cum Aepyto illo, Elati filio, serpentis (σήψ) ictu interfecto (5) comparandus est, aedem Tegeae habebat. Schwenckius (6) dei cognomen a verbo ἀπύω vel ἠπύω derivat, ita ut Mercurius Ἠπύτης

(1) Polyaen. 7, 33. cf. Herod. 7. 148. Plut. de virt. mul. Lucian. Amor. 30. Macrob Sat. 3, 8.

(2) Paus. 8. 46. 1.

(3) 8, 53, 3.

(4) 8, 47, 3.

(5) 8, 4, 4.

(6) Schwenck etym. myth. And. p. 132.

sit praeco seu orator. Rectius vero Panofka (1) hunc Mercurium cum Apolline, in cujus honorem Delphis celebrabantur Σηπτήρια (2), conjungit. Anguis ille certe et ad Mercurium et ad Apollinem spectat (3).

---

(1) Panofka. Annal. d. Inst. 1835 p. 251. Tav. adj. H. 6. cf. Panofka. Abh. d. Berl. Acad. 1839. Antik. Weihgesch. p. 10.

(2) Plut. quaest. gr. 12.

(3) Aepyti sepulcrum ad Cyllenae montis radices erat, Cyllenem vero montem Mercurio sacrum fuisse constat. Paus. 8, 16. 2. cf. Hom. Il. 2, 603.

Reliqua propediem edentur.

V I T A.

Guilelmus Davides Koner natus sum Berolini anno MDCCCXVIII patre Bernhardo med. et chir. Doctore nostraeque urbis medico practico, matre Emma, e gente Lemelsonia, quos Dei gratia ad hunc usque diem mihi servatos gaudeo: Fidem profiteor evangelicam. Annum agens septimum e domo parentum in paedagogium Ernesti Schmidtii phil. doct. ductus sum, quem virum doctissimum propter insignem curam, qua ingenium meum et mores pueri erudivit, usque ad vitae exitum pie semper colam.

Septem annis peractis sub auspiciis Directoris beati Prof. Dr. Sam. Koepkii Gymnasium Berolinense Leucophaeum frequentavi. Gravi deinde morbo per annum et dimidium domi retentus, propter infirmam valetudinem in Gymnasium Fridericianum, parentum aedibus proximum, transii. Directore Bonnellio, Professoribus Langio, beato Jaekelio, Salomone, Schellbachio, Zimmermanno praeceptoribus carissimis, quantum per valetudinem poteram, in litteris profeci. Tertio post anno maturitatis testimonio instructus, ab Rectore Magnifico Ill. Joh. Muellero inter cives Academiae Berolinensis Regiae receptus, ab Ill. Gablero, Decano spectabili philosophorum ordini adscriptus sum. Ibi per triennium philologiae et philosophiae operam dedi ducesque mihi studiorum fuere: Viri Illustrissimi, Doctissimi in litteris antiquis A. Boeckh, C. Lachmann, T. Zumpt, C. Heyse, G. Droysen, A. Be-

nary, in historia et geographia L. Ranke, C. Ritter, A. Schoell, F. Mueller, in philosophia et in juventutis institutione A. Trendelenburg, Benecke, in lingua Theotisca Jac. Grimm. Quibus viris pro summa, quam ex singulis scholis percepi, utilitate gratias ago maximas semperque agam. Imprimis vir doctissimus Th. Panofka, cujus insigni doctrina in studiis meis tum mythologicis tum archaeologicis nec non privatis consiliis egregie adjutus sum, pro tantis beneficiis gratissimo me in se semper animo fore confidat.

THESES.

1. Legatio illa legum quaerendarum causa in Graeciam missa parvi fuit momenti in conscribendas XII tabulas.
2. Apud Plutarchum de fort. Rom. c. I. *αὔξουσι ἀμφότεραι, πρὸς δὲ κομοῦσι, ἀδροῦσι, εἰς δόξαν ἀνάγουσι* cet. legendum pro *ἀμφότ. προςκομοῦσιν ἄνδρας, εἰς δόξαν ἀνάγουσι.*
3. Apud Plutarchum de fort. Roman. c. VI. pro *Σαβίνου* scribendum esse *Γαβινίου.*
4. Formam Martis Gynaecothoeni androgyneam fuisse.
5. Perimedam eandem esse atque Marpessam.
6. Bellum illud inter Tegeatas et Lacedaemonios a Polyaeno 1, 8. citatum, post Charilli expeditionem in Tegeatas gestum esse.
